



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae
aliquot piaë, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

Haimo <Altissiodorensis>

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1551

VD16 H 222

Feria III. Paschæ

urn:nbn:de:hbz:466:1-39335

Decim. Primum enim omnium uirorum, Petro appa-
ruisse dominus post resurrectionem creditur, non solum
ut apostolatus eius ordinem consolidaret, sed etiam ut
mentem eius que in passione turbauerat, reformaret.

FERIA TERTIA PA-
sche. Actuum XIII.

In diebus illis surgens Paulus, & manu
silentium indicens, ait Viri Fratres, filij ge-
neris Abraam, & qui in uobis timent deum.
Et reliqua.

OMnibus quibus ista loquebatur Apostolus, se-
cundum carnem filij Abraam erant, sicut & ipsi
de seipsis in alio loco dixerunt: Semen Ab- *Ich. 8.*
raam sumus, & nulli seruiimus unquam. Et iterum: Pa-
ter noster Abraam est. Et dominus illis: Scio quia *Ibid.*
filij Abraam estis. Imitatione enim non filij Abraam erant
illi, quibus dominus loquebatur: Vox ex patre dia- *Ibid.*
bolo estis. Inde ergo iudei filij diaboli, non nascen-
do, sed imitando. Vos (inquit dominus) ex patre
diabolo estis, & desideria patris uestri facere uul-
tis. Ecce unde filij diaboli. Quae sunt illius deside-
ria? Ille homicida erat ab initio, & uos queritis me
occidere. Ecce quomodo imitatione filij diaboli.
Nam & filij erant Abraam, propter originem carnis,
quibus ista Apostolus loquebatur, & filij imitationis
propter castitatem timoris, quibus specialiter dicebat:
Et qui in uobis timent deum, uobis uerbum
salutis huius missum est, quod illud utique de quo Isa-
ias ait: Verbum misit dominus in Iacob, & ceci- *Isaia. 9.*
dit in Israel, id est, misit deus filium suum, de quo

Ioh. 1.

Iohannes ait: In principio erat uerbum, & uerbum
erat apud deum, & deus erat uerbum. Ad Iacob,
ist est, ad Iudæos: & uenit ad Israel, id est, ad genti-
lem populum. Deus autē uerbū, ipse est dei filius.
Quapropter cum eum pater uerbum misit, a pa-
tre & uerbo eius factum est ut mitteretur. Ergo a
patre & filio missus est idem filius, quia uerbum pa-
tris est ipse filius, in ipso dei uerbo qđ erat in prin-
cipio apud deum, & deus erat uerbum. In ipsa scilicet
sapientia dei erat, quo tempore uerbum caro
fieret, & habitaret in nobis: quæ plenitudo tempo-
ris cum uenisset, misit deus filium suum factum ex
muliere, ut incarnatū uerbū hominibus appareret.

Galat. 4.

Qui enim habitant Ierusalem & princi-
pes eius, ignorantes Iesum & uoces prophe-
tarum, quæ p omne sabbatum leguntur.] Hinc

Act. 15.

etiā in Actibus apostolorum scriptum est, Moyses
enim a temporibus antiquis habet in singulis ciui-
tatis qui eum p̄dicent in synagogis. In his testi-
monijs manifeste declaratur, qđ lectio legis uel p̄-
phetarum, a Iudæis sabbato semper in synagogis
legebatur. [Cumq; consummassent omnia quæ de
eo scripta sunt.] Hæc uerba Iohannes hoc mo-
do narrat, dicens: Postea sciens Iesus quia omnia

Ioh. 19.

consummata sunt, ut cōsummaretur scriptura, di-
cit: Sitio. Peractis om̄ibus Iesus q̄ ante suam mor-
tem peragi oportebat, qñ uoluit, & sicut uoluit,
tradidit sp̄m. [Deponētes eū de ligno.] A Moy-
se in cremo æreus serpens ligno suspēsus est, ut dñs
in serpente mortuus, & in ære significaretur æter-
nus, uidelicet ut iudicaretur mortuus per humani-
tatem, & tñ esset quasi æreus per diuinitatē. Quid

respondendum est Iudæis obijcientibus testimonium illud, Maledictus omnis qui pepedit in ligno. Maledictum esse hominem qui in ligno pendeat, sed noxium, non innocentem. Neque enim innocentiæ Deute: 20
 potest esse maledictum pœna peccati. Etem si Mardocheus pparatio ligno appesus, sententiam regie Hester: 6
 crudelitatis expleisset, nunquid eum hi nunc dignum ad maledictionem iudicarent? Non omnino. Idcirco dñs noster pepedit in ligno, ut nos a delicto, quod in ligno fuerat perditionis admissum, ligno appensus absolueret. [Posuerunt eum in monumento.] ¶ In monumento nouo positus est Iesus, in quo nodum quisquam positus erat. Sicut in uirginis utero nemo ante illum, nemo post illum, nemo post illum sepultus est, [Deus uero suscitauit illum a mortuis.] ¶ Radix amara crucis euauit, flos uitæ cum fructibus surrexit in gloria. Hæc est uirga Aaron, quæ post siccitatem floruit. Virga enim post arditatem uirescens, Christus est post mortem resurgens, qui est flos uirginum, corona martyrum, gloria continentium. [qui uisus est per dies multos,] id est, per dies quadraginta. Non tamen eis per omnis illos quadraginta dies continue apparuit, sed quoties uoluit, quibus uoluit, & quemadmodum uoluit, apparuit.

His qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Ierusalem.

¶ Salua historia uideamus intelligentiam. Galilæa namque transmigratio facta interpretatur. Ierusalem uisio pacis. Illi enim cum dño de Galilæa ascendunt in Ierusalem, qui prius hic uitiorum fomites respicientes, ad uirtutum culmina transmigrant. Illi scilicet cum redemptore nostro a passione ad

one ad resurrectionem transmigrant, & in Ierusalem caelesti quandoq; dominum leti uidebunt, qui hoc modo uitijs derelictis, ad uirtutū celsitudinem transferint. [Et nos uobis annūciamus eā quæ ad patres nostros repromissio facta est.] Abrahe enim dictum est: In te benedicentur uniuersæ cognationes terræ. Iacob autem, & benedicentur in te & in semine tuo cunctæ tribus terræ. Quod Apostolus exponens, ait: Non dixit, in seminibus, sed in semine tuo, quod est Christus. Semen quidē Abrahe Christus est, in cuius nominis fide omnibus terræ familijs, Iudæis uidelicet & gentibus, est benedictio repromissa. id est, significata.

Gen. 22.

Gala. 3.

Dabo uobis sancta Dauid fidelia.

¶ Id est, quæcunq; Dauid fidei promisi, eadem uobis fidelis spōtor implebo, Christum scilicet de eius stirpe nasciturum.

¶ FERIA TERTIA PASCHÆ. Lucae XXIIL.



In illo tempore: Stetit Iesus in medio discipulorum suorum. Et reliqua.

Hærēt sibi diuinae lectiones, & frequēter una pendet ex altera, ita ut non nunquā exordia subsequētis, facilius intelligantur ex consideratione p̄cedētis. Quod i hac lectione facile agnōsci

mus, si superiora huius euangelij parumper atten-
damus. Postquam em̄ cōmemorauit euangelista
duobus discipulis dominū in uia apparuisse, post
q̄ eum cognitum ab eis in fractione panis narra-
uit fuisse, adiecit. continuo: Et surgentes eadem
hora, regressi sunt in Ierusalem, & inuenerunt cō-
gregatos undecim, & eos qui cum ipsis erāt, dicen-
tes quod surrexit dominus uere, & apparuit simo-
ni: Et ipsi narrabāt quæ gesta erant in uia, & quo
modo cognouerunt eum in fractione panis.

Dum hæc aut̄ ad inuicem loquerētur, Ie-
sus stetit in medio eorum.

Vnde apparet, quia hæc apparitio ipso die do-
minicæ resurrectionis facta est: cuius apparitionis
modum Iohannes euangelista apertius declarat,
dicens: Cum esset sero die illa una sabbatorum, & Ioh. 20.
fores essent clauis ubi erāt discipuli cōgregati, p-
pter metū Iudeorum, uenit Iesus & stetit in medio.
Vbi considerandum, quod de se colloquētibus do-
mino in medio stetisse dicitur, ut intelligamus quæ
tunc eum nobiscum habitantem habebimus, si q̄-
ties in unū congregamur, ea loquimur & agimus,
quæ ad eius laudem & nostram salutem pertinent,
iuxta quod ipse ait: Vbi fuerint duo uel tres con- Mat. 18.
gregati in nomine meo, ibi sum in medio eorū.
Sed apprensus discipulis dñs. qd̄ dixerit audiamus.
[Pax uobis.] Et pulchre resurgens a mortuis, pri-
mo pacem discipulis cōmendauit, ut per suā passi-
onem & resurrectionem, angelicā & humanā natu-
ram reconciliatā esse ostenderet. Ex eo enim tem-
pore quo primus homo peccando recessit a deo,
discordia inter hoīes & angelos fuit Sed quia hu-

manam naturam dñs redimens, ad cōsortium angelorū reuocauit, resurgēs a mortuis, quasi speciale munus discipulis pacē contulit. Ipse est em̄ (ait

Ephe. 1.

Apostolus) pax nostra, qui fecit utraq; unū, & medium parietem copulauit, dissoluēs inimicitias in carne sua, ut duos cōderet in semetipso, in uno nouo homine faciens pacem, & reconcilians ambos in uno corpore deo. Et ueniens euangelizauit pacem his qui lōge, & pacē his qui prope. Siue resurgens a mortuis, discipulis pacem commēdauit, ut illos ad suā uisionem peruenturos esse demonstra-

Matt. 5.
Psal. 118.

ret, qui pacis concordia corde & corpore seruāt, iuxta quod ille alibi dicit: Beati pacifici, qm̄ filij dei uocabuntur. Pax em̄ (ait Psalmista) multa diligentibus legē tuam dñe, & non est illis scandalū. Sed ne aliū esse putarēt, cuius corpus post resurrectionē clarificatum uidebant, adiunxit continuo: [Ego sum.] ¶ Vbi cōsiderandum q̄a non dixit, ego fui, sed ego sum. Sum quippe substantiuū uerbum, qd̄ nec präteritum, nec futurum sonat, sed semp̄ præsens, illi specialiter cōgruit, cui nec futura succedūt, nec präterita transeūt, sed sempre habet esse eternitatem, sicut ipse ait ad Moysen. Ego sum & sum. Hęc dices filiis Israel: Qui ē, misit me ad uos.

Exo. 3.

Quia uero humani oculi immortale corpus sine timore uidere non poterant, confortari a dño indigebant. Ait em̄: [Nolite timere.] Habet enim fragilitas humanę naturę hoc ppriū, ut cū aliquid supra se uiderit, infra se ptimescat. Vide & subditur:

Cōturbati uero & conterriti, existimabāt se spūm uidere.] Sed ista subitanea cōturbatio discipulorū, magnus error factus est Manichæorū. Et ipsi em̄, qui negabant deam ueram carnē nō as-

sumpsisse, hoc in adiutorium sui erroris assumere uoluerunt, q̄ ab apostolis dominus post resurrectionē sp̄s sit æstimatus. Sed hunc errorē discipulorum ipse dñs falsum cōprobauit, cum ab hoc errore discipulorū animos reuocauit, dicens:

Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda uestra? ¶ Vbi norandum, quia nō dixit, cogitationes descendunt in corda uestra, sed ascendunt. Bonę em̄ cogitationes descendunt, quia desuper a dño dantur, teste Iacobo apostolo qui ait: Omne datum optimum, & omne donū perfectū *Iac. 1.* desursum est, descendens a patre luminum. Malę uero cogitationes ascendunt, quia ab immūdis spiritibus ex imo immittuntur. Aliter em̄ ros desursum descēdens terram irrigat, aliter fauilla uētorū impetu in aera rapitur. Et ut omnē dubitationē de sua resurrectione a discipulorum mentibus auferret, manus & pedes palpandos prębuit, dicens:

Videte manus meas & pedes, q̄a ego ipse sum. Palpate & uidete, quia sp̄s carnem & ossa, nō habet, sicut me uidetis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. ¶ Nō solum manus & pedes, sed etiam iuxta Iohannis euangelium, latus quod lancea perforatum fuerat prębuit, ut in manibus & pedibus fixuras clauorū, & in latere lanceę apertionem uidētes, resurrexisse cognoscerent, quem ante triduū uiderāt crucifixū. ¶ Vbi mouet aliquē, q̄ modo post resurrectionem corpus dñi incorruptibile & palpabile fuerit, cum omne quod est incorruptibile, sit & impalpabile: & omne quod est palpabile, sit corruptibile. Sed miro & ineffabili modo dñs post resurrectionem corpus

suum & palpabile præbuit, & incorruptibile demon-
 strauit. ut monstrando palpabile, reformaret
 ad fidē. ostendēdo incorruptibile, inuitaret ad pre-
 miū. Siue certe, & palpabile & incorruptibile post
 resurrectionem corpus suum exhibuit, ut ostēde-
 ret se eiusdem esse nature, & alterius gloriæ. Sed
 quia in domini resurrectione nostra generalis re-
 surrectio est præfigurata, cū dominus post resur-
 rectionē corpus suum & palpabile præbuit, & in-
 corruptibile demonstrauit, ostendit nostra cor-
 pora post resurrectionem ita esse incorruptibilia,
 ut possint esse palpabilia. Vnde mentitur & con-
 uincitur Eutyches hereticus, qui dicit corpora no-
 stra post resurrectionē uento aeriq; esse similia fu-
 tura: & sicut iubar solis uideri potest, ita & corpo-
 ra nostra esse qđem uisibilia, sed impalpabilia, hoc
 in adiutoriū sui erroris assumere uolēs qđ ait Apo-
 stolus: Caro & sanguis regnū dei nō possidebūt, nō
 intelligēs qđ caro in scripturis uarias habet signi-
 ficatiōes. Aliquādo em̄ carnis noīe ipsa carnis na-
 tura designatur, aliquādo eiusdē carnis fragilitas,
 aliquādo uero peccata, quæ ex carne oriuntur, nō
 nunquam genealogia cognationis. Carnis nomi-
 ne ipsa carnis substantia designatur, sicut scriptū
Gene. 2. est: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne
 mea. Aliquando autē carnis nomine, carnis fragili-
 tas designatur, sicut scriptum est: **Ex. 17.** recordate est
Psal. 77. qđ caro sunt. i. fragiles. Aliquā genealogia cognat-
 ionis, noīe carnis exprimitur, sicut Petro dictū est:
Mat. 16. Nō tibi reuelauit caro & sanguis, Et sicut ait apo-
Gal. 1. stolus Paulus: Continuo nō acquieui carni & san-
 guini. Carnis quoq; noīe, uitia & peccata quæ ex
 carne oriuntur significātur, sicut dictum est: Non

permanebit spiritus meus in homine in eternum,
 eo q̄ sit caro. Ergo in eo q̄ ait Apostolus: Caro &
 sanguis regnum dei non possidebunt, nō naturam
 carnis resurrectionē esse negavit, sed vitia quæ ex
 carne oriuntur, cum Christo non posse regnare
 ostendit. Vnde & consequenter adiūxit: Neq; cor-
 ruptio incorruptelam possidebit. Cæterum credē *1. Co. 15.*
 dum est, carnē nostrā in resurrectionē absq; corrup-
 tione uel fragilitate mortis, in ueritate substantiæ ef-
 se resurrectionē, iuxta illud q̄ beat⁹ Iob testatur,
 dicens: Scio q̄ redēptor meus uiuit, & in nouissimo *Iob. 19.*
 die de terra surrectur⁹ sum, & rursum circūdabor
 pelle mea, & in carne mea uidebo deū, quē usurus
 sum ego ipse & non alius, & oculi mei conspiciunt
 sūt. Sed solet in hoc loco mēdax paganorū stulti-
 tia simplicitatē Christianā irridere, dicens: Qua teme-
 ritate putatis uos Christiani, q̄ deus uester uestra
 corpora de puluere possit resuscitare, cum sicut di-
 citis, ipse resurgens a mortuis, in sua carne uesti-
 gia passionis non potuit sanare? Ad quod uera fi-
 des respondet, non hoc fuisse impossibilitatis, sed
 potius pietatis. Maius est enim carnem suscitare,
 quam in ipsa carne passionis uestigia sanare. Sed q̄
 quod maius est potuit, quod minus est utiq; fecis-
 set, nisi uarias ob causas uestigia passionis in ipsa
 sua carne reliquisset. Primum, ut fidem discipu-
 lorum de sua resurrectione dubiam, facilius ad
 credēdū reformaret. Etsi enī tarde crediderūt apo-
 stoli, uidentes in ei⁹ corpore fixuras clauorū, multo
 tardius credidisset, nisi in ei⁹ corpore signa passio-
 nis cognouisset. Vnde unus eorū dicētib⁹ alijs, uidi-
 m⁹ dñm, cū q̄dam attestatiōe affirmabat, dicens: Nisi
 uidero in manibus eius fixurā clauorū & mittā di- *Ioh. 20.*

gum meum in locum clauorum, & mittam manum
meam in latus eius, non credam. Sine certe resurgens
a mortuis dominus in carne sua uestigia passionis refer-
uare uoluit, quia ueniens ad iudicium in eadem forma
omnibus apparebit, iustis scilicet & iniustis. ut iu-
sti uidentes quanta & qualia pro eorum ereptione
autor humani generis sustinuit, in eius laude & gra-
tiarum actione perficiant: iniusti uero tanto deterius
puniantur, quanto largiora dei beneficia indigni-
us contempserunt, sicut scriptum est: Videbunt in
quam transfixerunt. Et iterum alia scriptura dicit: Ecce
uenit cum nubibus, & uidebit eum omnis oculus, & qui
eum percusserunt. Et plangent se super eum omnes tribus
terrarum. Et alio iterum loco: Tunc plangent omnes tribus
terrarum, & uidebunt filium hominis uenientem in nubibus
caeli cum uirtute multa & maiestate. Et adhuc
aliter dominus in sua carne uestigia passionis reserua-
uit, ut quia aduocatus est noster, & patrem interpel-
larum pro nobis in humanitate, quia cuncta dat cum pa-
tre pro diuinitate: ipsa uulnera quae pro nostra redemptione
sustinuit, patri ostendat, ut eum misereri homi-
nibus faciat, pro quibus unigenitus dominus tanta ac talia
sustinere non recusauit & sic eum quia misereri non
cessat, ad miserandum prouocet. Vel certe post
resurrectionem dominus uestigia passionis in sua
carne uoluit reseruare, ut ipsa signa passionis ui-
ctoriam quam de antiquo hoste obtinuit, in perpetuo
praedicent. Sicut enim uerbi gratia fortissimus
miles, quum iubente imperatore in praesidium pro-
cesserit, si contigerit eum uictorem quidem, sed uulne-
ratum ad propriam patriam redire, non ita uult sa-
nari a medicis, ut uestigia uulnerum non appareant,
sed absque deformitate apparentes, eius audaciam

Ioh. 19

Zac. 12.

Apo. 1.

Mat. 24.

sanctis uidentibus indicent: ita & dñs resurgens a mortuis, uestigia passiois in sua carne uoluit apparere, ut uictorem eum diaboli ipsa signa per infinita secula demonstrent. Et q̄a discipulorū mentes inter mœrorem & gaudium positæ, nondum perfecte eū resurrexisse credebant, uerū indicium resurrectionis adhuc manifestat. ynde & subditur.

Adhuc aut̄ illis non credentibus, sed p̄ gaudiomirātibus, dixit: Habetis hicaliqd quod māduetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi & fauū mellis. Et cū manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.] Manducauit ergo & bibit coram discipulis post resurrectionē, non q̄d cibo carnali sustentari indigeret, sed ut in ueritate carnis se resurrexisse mōstraret: quia proprie comedere ad corpus pertinet, non ad spiritū. Manducauit & bibit coram discipulis, ut tanto eius resurrectionem securius prædicarent, q̄to nō solum carnem eius manibus palpasset, sed etiam oculis corporalibus comedere uidissent, & securi postea dicerent: quia uisus est post resurrectionē nō omni populo, sed testibus præordinatis a deo, nobis q̄ māducauimus & bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis, & p̄cepit nobis prædicare populo & testificari, quia ipse est qui cōstitutus est a deo iudex uiuorum & mortuorū. Sed nec ipse cibi q̄litas, quem post resurrectionē comedit, a mysterio uacua credenda est [Obtulerunt, inquit, ei partē piscis assi & fauū mellis] Quid in pisce asso, nisi mediator dei & hominum significatur esse passus? Ipse em̄ ut piscis latere dignatus est in aquis generis hūani, ipse ut piscis captus est

Actu. 10

Psal. 118

hamo passionis, sed melle dulcior extitit in resurrectione. Cuius dulcedinem degustauerat ille, qui dicebat: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua dñe, sup mel & fauum ori meo. Fauus namq; mel in cera est. Mel ergo in cera, dulcedo diuinitatis est, iuncta formæ humanitatis. [Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.] ¶ Quod dñs reliquias ciborū discipulis tradidit, ad hoc pertinet, quia suam passionē eis imitandam esse ostendit, iuxta quod ipse alibi ait: Sit q; uult post me uenire, abneget semetipsum, & tollat crucē suam, & sequatur me. Vnde unus eorum aiebat: Christus

Luc. 9:

passus est p nobis &c. Dedit ergo eis reliquias piscis asini & fauum mellis, qui suam passionem amarā esse ostendit in dolore cordis, sed dulcissimā in gloria resurrectionis. Vnde unus eorum, qui quasi stigmata passionis eius in suo corpore pferabat, ait:

1. Pet. 2.

Fratres, existimo enim q; nō sunt cōdignæ passionēs huius temporis ad futurā gloriā, q̄ reuelabitur in nobis.

Rom. 8.

Et dixit ad illos: Hæc sunt uerba quæ loquutus sum ad uos, cū adhuc essem uobiscū.

¶ Nunquid enim cum eis non erat, quibus uisibiliter loquebatur? Erat utiq; per præsentiā corporis, sed lōge ab eis distabat p cōmunionē fragilitatis. q̄ illi erant corruptibiles & mortales, ille incorruptibilis & immortalis. Et ideo cum præsentialiter loqueretur, ait. [Hæc sunt uerba quæ locutus sum ad uos, cum adhuc essem uobiscum: quoniam necesse est impleri omnia, q̄ scripta sunt in lege Moysi & prophetis & psalmis de me. Vbi nō solum legē, sed etiā ad suam passionē & re

resurrectionē cōfirmandā, prophetarū & psalmodiarū ora-
cula adhibuit, ut (quā iuxta quod ipse ait, In ore duorū
uel trium testium stet omnē verbum) si quis legis te-
stimonia de eo credere renuit, saltem multorum
testimonia in prophetarum & psalmodiarum ora-
culis discredere nō præsumat, sed credēda iudicet.

Deu. 17

• Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent
scripturas. ¶ Et quia per se scripturas intelli-
gere non poterant, aperuit illis sensum, ut intelli-
gerent scripturas, ut quod carnaliter audiebant, spi-
ritualiter intelligerēt. Quid autē in lege & prophetis
& psalmodiis de eo scriptū sit, manifestat cū adiungit:

Et dixit eis, Quoniam sic scriptum est, &
sic oportebat Christum pati, & resurgere a
mortuis die tertia.

¶ Oportebat Christum pati, & resurgere non
pro se, sed pro nobis, ut per suam in debitam passio-
nem a debita pœna nos liberaret, & per suam san-
ctam resurrectionem nos secum regnatos osten-
deret, quia (sicut ait Apostolus) mortuus est pro-
pter peccata nostra, & resurrexit propter iustifica-
tionē nostrā. Vnde bene suam resurrectionē nō lō-
gi⁹ quā usque in diē tertium differre voluit, ita ut du-
abus noctibus & una die in sepulchro quiesceret. Nox
quod ad peccatum pertinet, & natura quod ad huma-
na duabus mortibus tenebatur astricta: animę, pro-
pter peccatum: carnis uero, propter vindictam pec-
cati. Quia enim mediator dei & hominū sola carne
mortuus est, ut nos a morte animę liberaret, re-
surrexerat duabus noctibus, & una die in sepulchro quie-
scere voluit, quoniam per suam simplicem mortem,

Rom. 4

nostram duplam damnauit. Vt quid autem pro nobis mori uel resurgere uoluerit, manifestatur, cum adhuc subditur:

Et predicari in nomine eius poenitentiam & remissionem peccatorum.

¶ Non ergo durum uel asperum uideatur, quod dicitur, [predicari in nomine eius poenitentiam.] quia ualde dulce est quod sequitur, [in remissione peccatorum.] Et ubi haec predicanda essent, manifestatur, cum subinfertur: [In omnes gentes.] Quo uerbo Donatistarum haeresis confunditur, qui localem deum inducere uolentes, in sola Africa eius fidem esse dixerunt, non attendentes quod ipse dominus ait. [In omnes gentes.] In omnibus gentibus per apostolorum ministerium poenitentia & remissio peccatorum praedicata est, impleta propheta quae dixit: In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terrae uerba eorum. Et ne aliquis propter magnitudinem peccatorum de uenia desperaret, subiunctum est: [Incipientibus ab Hierosolyma.] Nullus ergo propter magnitudinem peccatorum suorum remissionem se posse consequi desperet, si legitime poeniteat, quoniam ipsis Hierosolymis cognoscit indultum, qui cruentis manibus & mendacibus uocibus ipsum sanguinem, pro quem genitum humanum redemptum est, effunderunt. quoniam sicut dominus ait per prophetam, Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.

Psal. 18.

pheta quae dixit: In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terrae uerba eorum. Et ne aliquis propter magnitudinem peccatorum de uenia desperaret, subiunctum est: [Incipientibus ab Hierosolyma.] Nullus ergo propter magnitudinem peccatorum suorum remissionem se posse consequi desperet, si legitime poeniteat, quoniam ipsis Hierosolymis cognoscit indultum, qui cruentis manibus & mendacibus uocibus ipsum sanguinem, pro quem genitum humanum redemptum est, effunderunt. quoniam sicut dominus ait per prophetam, Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.

Ecc. 18.

sicut dominus ait per prophetam, Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.

FERIA QVARTA PASCHAE. Actuum III.

In diebus illis Aperiens Petrus os suum,